

ante porrectionem, ut nunc accidit in die Parasceves, vel quando ex particulis in sacario reconditis Eucharistia ministratur. Tandem communicatio *mortuorum* appellatur illa, pro qua in ore proxime morituri imponebatur Eucharistia, quam antea infirmus postulaverat, sed non acceperat. Nota tamen, quod, si eam non deglutit, ejus gratiam non recipit. Hic est casus, in quo quis potest digne accipere Eucharistiam, quin recipiat ejus gratiam. Aliud esset, si post deglutitionem statim evomeret, quia in hoc casu jam verificatur, quod manducavit, non tamen in altero: quidquid dicit Thom. Hurtad. tom. 2. de resid. resolut. mor. resolut. 8. n. 26. §. 27.

PUNCTUM XI.

De communione quotidiana.

94. Inq. 1. An detur præceptum divinum, de communione quotidiana? R. negat: constat ex decreto Sac. Congreg. edito 12. Februar. 1679. sub Innoc. XI. Igitur communio quotidiana, nec universaliter improbanda, sed juxta circumstantias personæ, fervoris, preparationis, & progressus in virtute a respectivis superioribus, & Confessariis concedenda, aut deneganda. Ad hanc regulam statuendam dirigitur totius decreti scopus. Addit etiam quinque alias. 1. Quod redarguantur ab Episcopis, Parochis, & Confessariis asserentes communionem quotidianam esse de jure divino. 2. Quod nullus, nisi ob infirmitatem, recipiat Eucharistiam in lecto, aut domi, nisi in Oratoriis ex privilegio Pontificis, nec in crumena, aut occulte deferatur. 3. Quod non recipiatur in die Parasceves. 4. Quod nemini dentur plures formæ, seu particule, nec grandiores consuetis. 5. Quod Episcopi non permittant confessionem venialium fieri simpliciter Sacerdoti non approbato ab Episcopo, vel Ordinario. Vidè Benedic. XIV. in Synod. lib. 7. cap. 12. a num. 6.

95. Inq. 2. Quid sit dicendum de Sacerdotibus circa quotidianam celebrationem? R. 1. Quod Sacerdotes peculiari lege ad eam adstricti, debent quotidie celebrare, seclusa causa justa; tenentur quippe legi obedire. Sed cum debita pu-

ritate, ac devotione, ut jubet nostra const. 1. p. cap. 4. n. 7. De Sacerdotibus more laicorum communicantibus idem est dicendum ac num. præc. de laicis, licet illis facilius, quam laicis concedi possit communicatio quotidiana.

96. R. 2. Quod, absolute loquendo, consultius est Sacerdotes existentes in gratia quotidie celebrare; nisi aliquando ob majorem Sacramenti reverentiam, & ut ferventiori virtutis studio se præparent, interrumpi celebrationem expediat. Nam Sacerdos non agit solum de sua privata utilitate in celebrando, sicut laicus in communicando, sed est persona publica, celebrat nomine Christi, & pro tota Ecclesia. Unde tepidi, aut languidi Sacerdotes, ob pigritiam sacrificium omittentes, quoad ipsos attinet, privant Trinitatem gloria, & laude, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio, & gratia, animas, in purgatorio existentes, refrigerio, & semetipsos medicina, ac remedio. Ita cum aliis S. Bonaventura tract. de præpar. ad Miss. cap. 5.

97. Quæ intelligenda sunt in suppositione, quod sint in gratia, ne contingat, quod mihi accidit cum quodam Sacerdote, qui pluribus annis celebrabat quotidie, sibi conscius de lethaliibus, & quæsitus, cur saltem illo die, in quo mihi suam conscientiam aperiebat confessione vespertina, non se abstinuit a celebrando? Respondit confidenter: *Ne privarem Ecclesiam tot bonis, & animas purgatorii tanto refrigerio.* Dolui summpere ignorantiam adeo crassam, & adhuc doleo, & cupidus ne alter similis illi miserabili eadem laboret, hæc scribo, omnibus dicens: *Non sunt facienda mala, unde eveniant bona.* Esto quis suo opere totum evacuet purgatorium, imo, & infernum, deberet illud omittere, si absque culpa etiam veniali illud facere non posset, quanto magis sacrificium in lethali, quod est horrendum sacrilegium tradendi, & crucifigendi iterum filium Dei.

98. Inq. 3. An frequens communicatio, & confessio sit signum prædestinationis? R. Supponendo dari aliqua signa, non certa, sed conjecturalia prædestinationis, ut dilectio inimicorum, gustus in audiendo verbum Dei, humilitas, patientia, fervens devotio erga Beatissimam Virginem, & alia,

alia, intra quæ merito numerari valet frequens communicatio, & confessio; sed illa, quæ bene, & devotè fit, nam opera non sunt laudabilia, quia fiunt, sed quia bene fiunt; si enim bonum male feceris, jam non opus bonum, sed malum facis. Unde jure damnavit Innoc. XI. seq. pro. quæ est 56. *frequens confessio, & communicatio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* Cujus abominabilis falsitas per se patet, cum in viventibus, non dico gentiliter, sed minus catholice talis frequentia potius sit nota reprobationis; addunt enim sacrilegia sa-

crilegiis. Inq. 4. An sint a communione arceudi, qui nondum condignam de suis delictis penitentiam egerunt, aut amore Dei purissimum non habent? R. neg. constat ex duplici propos. damnata ab Alexandro VIII. ex quibus in ordine 22. sic ajebat: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætentunt, antequam condignam de delictis suis penitentiam egerint.* Alia, quæ est 23. dicebat, *similiter arceudi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis experti.*

TRACTATUS VIGESIMUS SEXTUS

DE SACRIFICIO MISSÆ.

NON est nobis sermo de sacrificio, metaphorice accepto, quo pacto quælibet opera in Dei cultum relata, ut actus fidei, spei, caritatis, orationis, contritionis, laudis, elemosynæ, jejuniis, & similia sæpe in scriptura nomine sacrificii appellantur. Sed loquimur de sacrosancto Missæ sacrificio, quod religiose veneramur catholici, & sacrilege abominantur hæretici. Quoniam Petrobusiani, Albigenes, Zvingliani, Lutherani, & Calvinistæ, esto quamdam Missam admittunt protestantur in confessione Augustana; captiosa est eorum protestatio, verum enim Missæ sacrificium odio habent. Imo Lutherus maxime in hac materia inconstans modo affirmans, modo negans, denique non erubuit proferre: *Nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Missas celebravit catholicorum more.* Si catholico spiritu, & corde celebrasset, non doluisset misere, nec in æternum doleret. Spiritus hæresis inconstans, & mendax. Imo ideo inconstans, quia mendax. Unde exiit proloquium: *mendacem oportet esse memorem.*

CAPUT. I.

De natura, & effectu sacrificii.

PUNCTUM I.

De sacrificio in communi.

1. Inq. 1. Quid sit sacrificium? R. sacrificium in communi est *oblatio Deo facta in*

signum supremi domini per immutationem alicujus rei ex legitima institutione. Ponitur oblatio loco generis, quia in eo convenit cum oblatione primitiarum, denarii, seu alterius rei, quæ sacrificium non sit. *Facta Deo*: quia soli Deo, non sanctis sacrificium offertur. *In signum supremi domini*: prætestando quod Deus est conditor, conservator, principium, & finis omnium rerum. *Per immutationem alicujus rei*: quia ad sacrificium exigitur præcise, quod res desinat esse, vel immutetur. *Ex legitima institutione*: hoc est a publico, & legitimo ministro, autoritate publica ad offerendum sacrificium deputato: qui non solum in lege nova, sed etiam in veteri erat Sacerdos. Ideo Rex Ozias fuit punitus, quia, cum Sacerdos non esset, ausus fuit sacrificium offerre. 2. *Paral. cap. 18.*

2. Inq. 2. Quotplex sit sacrificium? R. sacrificium primo ratione originis dividitur in sacrificium legis naturæ, scriptæ, & gratiæ. Secundo, in lege veteri fuisse multiplex. Nam differebat ratione *materiæ, formæ, & finis.* Ratione *materiæ*, aliud dicebatur *hostia*, sumpta appellatione ab hostibus devictis, & offerebatur animal post victoriam, a qua etiam *victima* nuncupabatur. Alia sacrificia, in quibus res solida inanimata offerebantur, ut panis, frumentum, sal, thus, vel quid simile, dicebantur *immolationes*. Dum autem oblatio fiebat de materia liquida, ut vinum, oleum,

sanguis, vel aqua, vocabatur *libamen*.
 3. Tertio ratione *formæ* dividitur sacrificium in *holocaustum*, in *hostiam pro peccato*, & in *hostiam pacificam*. Hæc offerrebatur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, & ad alia obtinenda. *Holocaustum* autem in recognitionem supremi domini, & excellentiæ. Quare totum igne consumebatur, ad distinctionem *hostiæ pacificæ*, quæ partim cremabatur, partim a Sacerdotibus, tum ab offerentibus edebatur; & *hostiæ pro peccato*, quæ partim in Dei honorem consumebatur, & partim a Sacerdotibus in atrio templi edebatur. Unde emanavit effatum: *Sacerdotes peccata populi comedere*.

4. Quarto ratione *finis* dividitur in *Lætreuticum*, hoc est offeribile in honorem Dei, tamquam omnium supremi Domini; in *Eucharisticum*, seu in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis: in *satisfactorium*: pro *peccatorum*, in *impetratorium* pro obtinendis beneficiis spiritualibus, & temporalibus; & etiam in *propitiatorium*, quatenus reddit Deum nobis placatum: ac denique in *expiatorium*, hoc est ad remissionem venialium in homine justo.

PUNCTUM II.

De Missæ sacrificio.

5. Inq. 1. Quid sit sacrificium Missæ? R. est *oblatio sollemnis, in qua Christus Dominus offertur Deo Patri sub speciebus panis, & vini consecratis in honorem supremæ excellentiæ super aram altaris a Sacerdote ex legitima Christi institutione*. Hoc mirandum sacrificium differt a sacrificiis antiquis in pluribus; præcipue in eo, quod illa erant multa, umbræ, & figuræ hujus sacrificii: sacrificium vero Missæ est unicum, continens perfectissime omnia, quæ illa figurabant. Est *holocaustum*, ubi Christus mystice desinit esse, seu mactatur. Est *Eucharisticum*, in actionem gratiarum; *satisfactorium* pro peccatis culpæ: est *impetratorium*, *expiatorium*, *hostiæ pacificæ*, *immolatio*, & *libamen*, ut singula consideranti patebit. Unde, cum sit unum, omnia continet, juxta illud quod canit Ecclesia: *Deus qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sansisti*. Ex definitione sacrificii

Missæ legitime inferitur illud soli Deo non sanctis proprie offertur; est enim actus lætriæ in protestationem divinæ excellentiæ, & supremi domini. Vide Trident. *sess. 22. cap. 3.*

6. Inq. 2. An Missa sit vere, & proprie sacrificium? R. Missam dupliciter inspicere posse. Primo, prout dicit introitum, epistolam, evangelium, canonem, & alias orationes, & cæremonias pro majori ornatu, & reverentia; Et ita non est proprie sacrificium. Secundo, prout dicit id, quod est *essentiale* in Missa, & sic est vere, & proprie sacrificium institutum a Christo Domino, offerturque Deo Patri in signum supremi domini: igitur vere, & proprie Missa sacrificium est. Dicitur autem hoc sacrificium *Missa* a verbo *mittere*, vel quia in illa Christus a Deo ad nos, sive a nobis ad Deum mittitur; vel quia ante oblationem Cathedram a Diacono extra templum mittebantur, vel quia parato sacrificio populus a Diacono, vel Sacerdote mittitur per illa verba: *Ite Missa est*. Alii putant vocem *Missa* derivari a *Missa*, quod juxta aliquos est nomen græcum, significans spontaneam oblationem. Quidquid sit de hoc, *Missa* hic sumitur pro tota actione, qua conficitur solemniter ritu catholico Eucharistiæ sacramentum.

7. Inq. 3. In quo differat sacrificium Missæ a sacrificio Crucis? R. Differre 1. in eo, quod Missæ sacrificium est incruentum absque dolore, & sanguinis effusione: sed sacrificium Crucis fuit cruentum cum dolore, & effusione sanguinis. 2. in eo, quod licet idem sit principalis offerens, & oblatum utriusque sacrificii, in cruce fuit visibilis, in altari vero invisibilis, licet minus principaliter offerens in Missa sit visibilis, nempe Sacerdos. Hæc autem differentia solum est quoad modum, nam quoad substantiam idem formaliter est sacrificium, licet numero diversum.

8. Inq. 4. In quo differat Eucharistia, quatenus sacramentum, a seipsa quatenus sacrificium? R. Differre 1. in eo, quod ut sacramentum est *primo*, & *per se* causativum gratiæ cibatiæ: at ut sacrificium est *primo*, & *per se* offeribile in honorem divinæ excellentiæ. Hinc eadem est materia, tam proxima, quam remota Eucharistiæ, tum in ratione sacramenti, tum in ratione sacrificii; & eadem est forma, ita

Cap. I. De Natura, & effectibus Sacrificii.

ut ipsa verba, quæ conficiunt Eucharistiam, ut sacramentum causativum gratiæ cibatiæ, sunt etiam forma sacrificii, quatenus præctice efficiunt separationem incruentam corporis, & sanguinis Christi, ad offerendum Deo Patri. Differt 2. in eo, quod Eucharistia, ut sacramentum, salvatur sub unica specie; at ut sacrificium exigit essentialiter ambas species; quia ad sacrificium requiritur separatio positiva corporis a sanguine, quæ separatio positiva consistit in eo, quod *ex vi verborum*, solum corpus in pane, & solum sanguis in vino apponitur. Nam, licet in unica specie adsit etiam separatio veluti negativa, tamen, ad exprimendam positivam separationem utriusque speciei, consecratio requiritur.

PUNCTUM III.

De sacrificii essentia, & valore.

9. Inq. 1. In qua actione Missæ sacrificium essentialiter consistat? R. quod circa hanc difficultatem duplex militat gravissima sententia, utraque valde probabilis, tum ratione, tum auctoritate. Prima asserit sacrificium Missæ consistere essentialiter in consecratione, & sumptione utriusque speciei. Secunda defendit consistere tantum essentialiter in consecratione utriusque speciei cum ordine ad summptionem: hanc autem solum esse partem sacrificii integram. Huic sententiæ subscribo ductus, ultra alias, duplici ratione. Prima, quia sacrificium Missæ essentialiter consistit in illa actione, quam, ut essentialem, certo credimus fecisse Christum Dominum in nocte cœnæ: sed talis actio solum est consecratio utriusque speciei; nam quod ipse sumpserit, licet sit probabile, non tamen est certum, & distributio, sed traditio, discipulis facta, nullus credit esse de essentia: ergo, in sola consecratione utriusque speciei consistit essentia sacrificii Missæ. Verum cum sumptio specierum sit de juræ divino, & pars integrans, ac complens sacrificium, ideo consecratio dicit ordinem necessarium ad summptionem.

10. Secunda ratio sic se habet: in illa actione consistit essentialiter sacrificium, quæ fit in persona Christi, & qua victima immolatur; sed sola consecratio utriusque

speciei fit in persona Christi; nam cætera profertur a Sacerdote in persona propria, nec sumit Christum, nisi nomine proprio: ergo, cum alias per separationem mysticam corporis a sanguine, modo explicato, mactetur victima sola consecratione utriusque speciei, in hac sola consistit essentialiter sacrificium Missæ. Hæc duplex ratio, omissis aliis, me evincit, ad subscribendum secundæ sententiæ; potest autem utraque quodammodo conciliari, dicendo, quod sumptio est de essentia hujus actionis, quatenus est holocaustum, de sola vero integritate, quatenus est sacrificium.

11. Objit. 1. Ad sacrificium requiritur immutatio in re oblata; sed in nulla actione Missæ immutatur Christus, qui est victima, potius quam in sumptione: ergo, hæc si non est tota essentia sacrificii, ad minus pertinet ad ejus essentiam. R. In consecratione utriusque speciei Christum vere immutari, & mactari incruenter; offerrique Deo Patri. Nam ex vi verborum, ut dictum est supra, separatur mysticum corpus a sanguine, quæ est immutatio propria sacrificii. Ad sacrificium incruentum sufficit immutatio incruenta.

12. Objit. 2. Ad rationem sacrificii requiritur essentialiter oblatio; sed consecratio non est oblatio: ergo. R. Quod consecratio est simul oblatio practica. Oblatio autem, quæ fit ante, & post consecrationem, non est de essentia sacrificii, esto sub gravi debeant fieri, & præcipue illa, quæ ponitur post consecrationem, & incipit: *Supplices te rogamus*. Idem est de fractione hostiæ, quæ fieri debet sub gravi. At, si ante fractionem decideret hostia in calicem, nihil sacrificio deficeret, nec aliquid iterandum esset, quod satis arguit non esse de essentia, ut quidam putavere.

13. Inq. 2. Qui sint offerentes hoc sacrificium? R. Quod principaliter offerens est Christus, qui simul est offerens, & oblatum; Sacerdos, & victima; hostiaque Deo Patri immolata. Offerens minus principalis, & minister proprius est Sacerdos, Assistentes sacrificio, possunt dici coofferentes, seu offerentes denominative, quatenus una cum Sacerdote illud Deo quodammodo offerunt; peculiariter vero ille, qui facit illud celebrare; huic enim plus

cæteris proficit, deinde ille, qui eidem inservit. Quare advertant omnes inservire Missæ esse opus magnæ utilitatis spiritualis, quia immediatius aliis percipit ejus fructus, quibus privantur segnes, & tepidi, nolentes opus proprium Angelorum exercere. Observa etiam illos specialiter participes fieri hujus ditissimi thesauri, qui devote adstantes, intentioni Ecclesiæ suam intentionem conjungunt.

14. Inq. 3. An Missa oblata a Sacerdote probo valeat plus, quam oblata ab improbo? R. Quod ex opere operato tantum valet una, quantum alia; quia valor sacrificii ex opere operato solum pendet a Christo principali offerente, nec aliquid nocet improbitas Sacerdotis. Cæterum ex opere operantis plus proficit Missa a justo, quam a malo Sacerdote peracta; plus enim valet, & obtinet justus, quam peccator. Ideo testamentarii, aut alii, quibus incumbit, quod Missæ celebrentur pro animabus purgatorii, curare debent illas commendare Sacerdotibus, quorum probitas constat, relictiis aliis, si qui sint, suspectæ vitæ, & virtutis.

15. Inq. 4. An sacrificium Missæ sit infiniti valoris? R. affirm. Quia sacrificium Missæ formaliter, & quoad substantiam est idem cum sacrificio crucis; sed hoc est valoris infiniti: erg. etiam sacrificium Missæ. Nihilominus esto quoad sufficientiam ita sit; quoad efficaciam vero, ac effectum est finiti, seu limitati valoris, quia ejus applicatio pendet, tum ex dispositione subjecti, tum ex voluntate Christi, ita disponentis, ut juxta meritum, seu præparationem subjecti applicetur illi valor, & fructus sacrificii. Ideo multiplicantur sacrificia, sicut Christus multiplicavit suas actiones, dolores, ac pœnas, esto per quamlibet, etsi minimam posset pro omnibus abundanter satisfacere. Ideo etiam Sacerdos debet fructum sacrificii applicare, tribuenti sibi elemosynam: esto applicatione huic facta, possit quibus voluerit sacrificium, & ejus fructum, in quantum valet, etiam applicare, cum, ut diximus, ex se sit infiniti valoris.

PUNCTUM IV.

De effectibus sacrificii Missæ.

16. Inq. 1. Quot sint effectus, sive fructus sacrificii Missæ? R. Quatuor præcipuos communiter assignari. Est quippe hoc sacrificium immediate *satisfactorium*, & *impetratorium*; & mediate *propitiatorium*, & *expiatorium*. Est *satisfactorium*, quatenus ex opere operato satisfacit pro pœna temporali, debita peccatis jam remissis quo ad culpam fidelium, tam vivorum, quam defunctorum. Et hic effectus, quoad aliquam remissionem pœnæ, dummodo ille, cui applicatur, sit in statu gratiæ, est infallibilis, esto de eo tunc non cogitet; quia creditor condonare valet debitori, etiam de hoc non cogitanti: in quo differt a remissione culpæ, quæ in adulto actum interiore deposit. Cum igitur hoc sacrificium infallibiliter conferat aliquod spirituale commodum, cui, obicem non ponenti, applicatur, effectus satisfactorius pro aliqua pœna infallibilis est. Est etiam *impetratorium* immediate, quatenus per sacrificium impetrantur fidelibus aliqua dona spiritualia, vel temporalia, hæc autem conducant ad salutem æternam. Hic autem effectus non est infallibilis, sicut nec cæteri recensendi.

17. Est deinde hoc sacrificium *propitiatorium*, quatenus eo placatur Deus, ne nobis irascatur, & inferat malum, & obtinet auxilia, quibus doleamus de peccatis, ab eisque declinare curemus. Verum quia hoc ultimum non confert immediate, sed mediis auxiliis, ideo dicitur hic sacrificii mediatu effectus. Est denique *expiatorium*, quia pariter adipiscitur nobis auxilia, quibus venialia detestamur; & si quibus remittuntur, prout de sacramentalibus proportionabiliter dicitur.

18. Inq. 2. An sacrificium Missæ conferat immediate gratiam, vel augmentam gratiæ illis, pro quibus offertur? R. neg. Quia non est institutum, ad causandam, vel augendam gratiam immediate, sicut sacramenta, sed in honorem Dei, & præstationem divinæ excellentiæ, ad placandum Deum, & satisfaciendum pro pœnis peccatorum, in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, & ad impetrandam ni-

teriora, tum spiritualia, tum etiam temporalia ad bonum animæ conducentia. Verum esto non conferat immediate gratiam, confert illam mediate: at præter effectus, seu fructus, veluti in communi recensitos, alios plures habet sacrificium Missæ, quorum aliquos in particulari exprimere lubet.

19. Juvat enim justos, ad vincendas tentationes, ad perseverandum in gratia, ad eam, mediis auxiliis a sacrificio profluentibus, augendam, ad impetrandam bona salutis, pacis, victoriæ in bello, fertilitatis agrorum, conservationis rei familiaris, & alia multa, dum ad salutem æternam eis conveniant. Peccatores quoque magnam utilitatem ex hoc sacrificio, pro illis oblato, percipiunt, maxime impetrando auxilium ad poenitentiam, ad pericula vitanda, ad præcepta Dei, & Ecclesiæ adimplenda, ad movendum Sanctos, & Angelos præsertim custodes, ut pro eis intercedant, & cohibeant dæmones, ne nimium eos tentent, & vincant. Impetrat etiam bona temporalia peccatori, quatenus deservire possunt bono ejus spirituali. In hoc sensu valet dici, quod potest sacrificium Missæ offerri etiam pro bestiis, hoc est, indirecte. Proficit pariter, ad averteendam e domibus vim noxiam spirituum malignorum; item ad depellendos dæmones ab obsessis, & ad captivos liberandos a sua captivitate. Prodest denique plurimum animabus purgatorii, allevando eas a suis gravissimis pœnis, & satisfaciendo pro eis, quod infallibiliter, non quo ad totam pœnam, sed quoad aliquam consequuntur pie animæ, ex sacrificio Missæ pro eis applicato. Ut sic omnibus prosit, quod est pro salute omnium institutum, ut egregie canit Ecclesia ex D. Th. *Opus 57*.

20. Prædicti effectus, seu fructus respective ad participantes dividuntur in alios quatuor; nimirum in *generalem*, *assistentialem*, *specialem*, & *specialissimum*. *Generalis* est, quem participant omnia membra Christi. *Assistentialis* est, qui percipitur a devoto sacrificio assistentibus, qui, ut proximiores divino fonti, plus aquæ spiritualis accipiunt. *Specialis* debetur illi, cui stipendium dedit pro sacrificio, aut cui hoc applicatur. *Specialissimus* est, qui cedit in bonum celebrantis. Hic autem nequit pro fructu specialissimo aliud stipen-

dium accipere, ut constat ex propos. 8. damnata ab Alexandro VII. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando potenti partem, etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Olim quidam Sacerdotes, avaritia perciti, tot hostias consecrabant in eadem Missa; quot stipendia receperant: quo sordido, & sacrilego abusu profligato, excogitarunt celebrare Missas *bifaciatas*, & *trifaciatas*, quas ita appellabant, quia in una duplicem, aut triplicem collectam, epistolam, & totidem Evangelia legebant, ut sic duplex, aut triplex stipendium acciperent, quo etiam detestabili mercimonio proscripto, alio voluerunt compensare duplex stipendium, unum pro fructu speciali, aliud pro specialissimo accipiendo, & hoc damnatur in hac 8. propos. Vid. Bened. XIV. in *syn. lib. 5. c. 8. n. 8.*

PUNCTUM V.

De applicatione sacrificii.

21. Inq. 1. An ut alicui prosit peculiariter sacrificium, applicari debeat a Sacerdote? R. affirm. Quia Sacerdos ex vi ordinationis constitutus est a Christo minister, ac dispensator hujus thesauri, cum potestate illum distribuendi, applicandi-que ejus fructus vivis, ac defunctis: erg. si Sacerdos illos non applicat, nemini in particulari applicatur. Ut igitur peculiariter alicui prosit sacrificium, debet illud Sacerdos ei ante consecrationem applicare; post consecrationem enim non prodest, cum sacrificium sit essentialiter peractum nec suspensum manet, sed in communi Ecclesiæ thesauro reponitur. Si Sacerdos, adstrictus ex justitia ad applicandum Petro, applicet Paulo, hæc applicatio, esto illicita, prævalet. Sicut enim Sacerdos, illicite celebraus, contra Dei voluntatem agit, tamen consecratio valida est, pariter applicatio.

22. Inq. 2. An Missa prosit ei, cui Sacerdos regularis illam applicat contra intentionem, aut præceptum sui Superioris? R. affirm. Quia, ut dictum est, Sacerdos ex vi ordinationis accipit potestatem, non solum celebrandi, sed etiam applicandi sacri-

sacrificium, seu, quod idem est, illius fructus dispensandi, quæ potestas quoad validum non subditur Prælato: igitur, sicut contra præceptum Prælati potest subditus Sacerdos valide consecrare, ita similiter sacrificium applicare. Peccat vero subditus in tali casu graviter contra obedientiam, & forte etiam contra paupertatem, si stipendium accipit, & denique etiam contra iustitiam, si applicatio, a Prælato ei præscripta, erat alteri ex iustitia debita: tamen applicatio, ab eo facta, valida est. Tenetur vero subditus monere de ea Prælatum, vel compensare Missam ex iustitia debitam, aliam applicando per se, vel per alium.

23. Inq. 3. Quam intentionem habere debeat quilibet Sacerdos, Prælati, vel subditus, ut licite Missas applicent? R. Quod intentio actualis, esto optima sit, non requiritur: sufficit enim virtualis ab actuali proveniens, & non revocata: quam, si malueris, poteris etiam applicare habitualement, dummodo animum deliberatum habueris applicandi sacrificium pro illo, qui tibi illud commendavit, aut stipendium largitus fuit. Quare si Sacerdos viginti stipendia hodie a diversis accipit, & deliberet viginti diebus sequentibus eisdem satisfacere, celebrando, esto singulis diebus non recordetur, dummodo hoc animo celebret, licite procedit. Similiter Prælati respective debet habere intentionem, satisfaciendi oneribus perpetuis Missarum, & eleemosynis manualibus per propriam, & subditorum celebrationem, & aliquoties renovare animum, satisfaciendi omnibus, & singulis obligationibus iustitiam meliori modo, quo possit, juxta præferentiam, quam revera ante Deum habent: nec aliud est moraliter possibile in communitatibus numerosis. Apud nos diligenter inquiritur singulis mensibus ratio de stipendiis acceptis, de Missis celebratis, ac de oneribus satisfactis, & ideo, ut par est, in materia adeo gravi accurate proceditur. Subditi debent habere animum, & illum etiam aliquoties renovare, applicandi sacrificium juxta Prælati intentionem, & propriæ religionis statuta, quibus supponitur conformis intentio Prælati.

24. Inq. 4. An Sacerdos valeat applicare Missam sub conditione? R. Quod sub

conditione de præsentis, aut de præterito valet, ut si Petrus infirmatur, aut obiit; quia dirigitur ad objectum determinatum. Debet vero absolute tunc applicare, vel pro ipso Petro, vel pro alio, si forte conditio impleta non sit. At sub conditione de futuro contingenti minime potest Missa applicari, ut pro Paulo, si dederit mihi stipendium, vel pro illo, qui prius mihi eleemosynam conferat, quia nec effectus sacramentorum, nec sacrificii possunt suspendi. Unde Clemens VIII. & Paulus V. damnare abusum, Missas anticipatas applicandi pro iis, qui stipendium postea essent largituri. Aliud est de obligationibus perpetuis, pro quibus valent Missæ anticipate celebrari, nisi aliud exprimitur in foundatione, vel agnoscatur aliam fuisse mentem fundatoris. Aliud etiam est de Sacerdote, qui adstrictus applicare Missam pro anima Pauli diceret, si hæc non indiget, aut capax non est, applico pro alia capaci, & indigenti; hoc enim prudens, ac laudabile est, nec fructus Missæ redeat ad thesaurum Ecclesie.

25. Hoc tamen periculum evadit Sacerdos, qui, ut caritas, pietas, gratitudo, & amicitia deposcunt, facta applicatione, absolute debita ex iustitia, applicat sacrificium adeo totaliter, ut licite potest, sine præjudicio ejus, cui debetur, pro se, pro suis parentibus, pro fratribus, cognatis, benefactoribus, amicis, & sibi commendatis, vivis, ac defunctis, ut singulis prosit, ac si pro unoquoque offeratur. Ita enim nec applicatio est conditionata, nec fructus sacrificii remanet suspensus, sed potius a pluribus utiliter participatur ille infinitus, ac nunquam exhauriendus thesaurus meritorum, & satisfactionum Christi.

PUNCTUM VI.

Pro quibus debeat, & possit Missa applicari.

26. Inq. 1. Quibus diebus teneantur Parochi, & alii animarum curam habentes, applicare Missam pro suo grege, & populo? R. Quod licet olim circa hanc difficultatem varia essent dubia, diversæque sententiæ, tamen Bened. XIV. ea omnia veluti falce amputavit sua constitutio-

ne:

ne: Cum semper oblatas edita 19. Augusti 1744.

27. In ea namque decernitur, ac declaratur, confirmando obiter quædam decreta Congreg. Concil. Trident. quod omnis Parochus, sive sæcularis, sive regularis, Abbas, Rector, Vicarius perpetuus, aut temporalis, vel Ecclesia vacante ab Episcopo designatus, tenetur applicare Missam pro suo grege omnibus diebus festis, in quibus, sive laborent ex privilegio, sive non, adstringuntur fideles præcepto Missam audiendi. Hoc asserit Pontifex ita decernere, ut sublata demum divinationum varietate, constans Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuiuslibet innotescat. Igitur omnes, & ubique obligat. Si aliqui Parochi, seu Vicarii sint nimis pauperes, & stipendio Missæ indigeant, consulant Episcopum, qui potest dispensare, ut illud accipiant pro Missa diei festi, sub conditione, quod infra hebdomadam aliam Missam applicent pro grege.

28. Inq. 2. An Parochi, qui habent duplicem Parochiam, & diebus festis in utraque celebrant, teneantur applicare utramque Missam pro populo? R. affirm. Tum quia facultas duplicandi Missam, indulta Parocho festis diebus, non respicit privatam utilitatem Parochi, sed populi commodum: tum etiam, quia, si Parochus non teneretur applicare utramque Missam pro populo, & posset recipere stipendium pro secunda, citata Constitutio non prescriberet absolute remedium consulendi Episcopum pro pauperibus Parochiis, sed facta exclusione de his, qui habent duplicem Parochiam, & facultatem duplicandi, id dictum remedium consuleret solis Parochiis, qui, & sunt pauperes, & non habent facultatem duplicandi, ergo cum nulla facta distinctione de Parochiis, qui festis diebus bis celebrant, ab illis, qui semel tantum, absolute dicta Constitutio decernat Missam debere applicari pro populo, inferitur bene, quod etiam secunda Missa debeat similiter applicari. Non desunt alie rationes, & quidem satis efficaces, hanc ipsam obligationem suadentes, quæ brevitate gratia prætermittuntur; dicta enim sufficiunt ad eam suadendam.

29. Inq. 3. An dicti Parochi, qui, ut supra, habent duplicem parochiam, & facultatem celebrandi, & obligationem applicandi duplicem Missam pro populo, teneantur etiam ad binam applicationem, quando per se ipsos non possunt celebrare nisi unicam tantum Missam? R. Quod si contingat esse alium Sacerdotem in aliqua ex duabus Parochiis, unico Parocho commissis, qui possit, & velit in alterutra illarum Missam celebrare tempore congruo, ut populus possit assistere in die festo, quo in casu Parochus non potest duplicare Missam, non tenetur iste ad binam applicationem. Ratio est: quia cum Parochus in dicto casu non possit duplicare celebrationem, teneatur elargire stipendium Sacerdoti transeunti, vel adventanti ad suam parochiam in die festo, volentique celebrare, ut tam ista, quam Missa Parochi applicaretur populo, quod nimis durum videtur, & nulla lege præscriptum. Non enim apparet justa ratio ad hoc, ut Parochus iste taliter gravetur semper, ac aliquis Sacerdos casualiter, vel ad tempus, vel permanentem in sua parochia invenitur. In iis circumstantiis suum munerem satisfacit Parochus applicando Missam, quam ipse celebrat, quo utroque populo. Aliud esset casu, pro ob infirmitatem, vel ob alias justas causas alius Sacerdos supleret officium Parochi; tunc enim utraque Missa celebrata ab isto Sacerdote, qui supplet vices Parochi, debet applicari pro populo, ut de ipso Parocho bis celebrante dictum est.

30. Inq. 4. Pro quibus offerri possit sacrificium Missæ? R. 1. Possit offerri pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, atque defunctis non excommunicatis, ut patet ex canone Missæ, ubi fit oratio pro omnibus orthodoxis, atque catholicis, & apostolicæ fidei cultoribus, & pro quibus nos processerunt, & dormiunt in somno pacis. Unde in primis offerri potest pro infantibus vivis, & perpetuo amentibus baptizatis, quoad fructum impetrationis, ut Deus eos incolumes, & ab omni malo liberos servet. Deinde pro adultis, si in gratia existant, quoad fructum etiam satisfactionis, si vero in peccato, solum quoad impetrationis, & propitiationis. Valet pariter Sacerdos nomine proprio orare in Missa, vel private suo nomine eam offerre

re

re pro excommunicatis, & quibuscumque infidelibus, sicut potest alias privatas orationes offerre pro illis, ut convertantur, & respiciant. At orare in Missa, aut eam offerre non potest licite nomine Christi, nec valde nomine Ecclesiæ pro excommunicatis, etiam toleratis, quia sunt membra abscissa a corpore Ecclesiæ. Valet tamen eam offerre nomine Christi pro infidelibus non excommunicatis, & potiori ratione pro Cathecumenis, ut pro Paganis, Judæis, Turcis, & similibus quoad fructum impetrationis, quia hoc ab Ecclesiâ nullibi est vetitum, sicut est prohibitum Missam offerri pro excommunicatis in cap. Anobis. 2. de sent. excom.

31. R. 2. Quod pro parvulis, & perpetuo amentibus non baptizatis nequit offerri sacrificium Missæ, ut satisfactorium, quia nihil illis prodest, ut ex se patet. Verum ut impetratorium, ut gratiam baptismi obtineant, bene potest pro illis offerri. Minime tamen pro damnatis, quia in inferno nulla est redemptio. Ideo si aliquando dicitur proficere Missam, aut orationem damnatis, intelligendum est de damnatis ad purgatorium, vel de damnatis ad infernum non finaliter, ut de Trajana refert D. Thom. in 1. dis. 43. a. 5. vid. Tract. 10. n. 37.

32. Prohibitum est etiam offerri Missam pro illis, qui omnino voluntarie, & sui compotes se occidunt, licet Sacerdos in memento defunctorum pie possit pro eis privatim orare, si forte ante mortem vere penituerit. Nec pro cathecumenis defunctis est offerendum sacrificium, dum ex sua negligentia absque baptismo decesserit. Denique pro beatis solum valet offerri ad eorum gloriam accidentalem, vel in gratiarum actionem Deo pro eorum æterna felicitate. Qua ratione etiam offerri potest pro parvulis, statim post baptismum vita functis, hoc est in finem Laueiticum, & Eucharisticum, nempe in honorem supremi dominii, & in gratiarum actionem pro beneficiis ipsis parvulis a Deo collatis.

CAPUT II.

De congruo tempore, loco, & aliis requisitis pro celebratione.

PUNCTUM I.

De tempore congruo ad celebrandum.

33. Inq. 1. Qua hora possit Missa celebrari? R. quod in rubrica ita habetur: "Missa privata saltem post matut., & laud." quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. "Ex permissione vero Bened. XIII. & Clem. XII. tertia horæ parte ante auroram, & alia post meridiem celebrari potest. Aurora appellatur illa irradiatio, quæ respectivè ad diversa tempora incipit, vel una hora, vel hora cum dimidia ante solis ortum. Potest anticipari, & postponi celebratio ex gravi causa per unam horam, plus minusve, ubi ratione itineris necessarii, vel notabilis damni. Ad dandum viaticum infirmo, alias sine illo morituro, valet celebrari. quilibet hora post mediam noctem, & etiam secunda hora post meridiem. Similiter ratione magnæ solemnitatis, aut concionis postponi valet celebratio per unam horam. Episcopi cum suis subditis, & regulares cum propriis dispensare possunt ex justa causa, ut celebrent una hora ante, vel post tempus præscriptum, seu consuetum. Imo posse regulares celebrare, transactis duabus horis a media nocte, asserunt aliqui ex privilegio Alexandri VI. confirmato a Clem. VIII. De Missa vero conventuali strictius rubricæ, earumque explanatores locuntur. Vid. clericat. decis. 50. de sacrific. Missæ, ubi citat S. Antonin. sic scribentem: "Si sermo sit de Missa conventuali, videtur peccatum esse mortale eam ante Matutinum, & Laudes celebrare; id est enim contra generalem Ecclesiæ consuetudinem.

34. Inq. 2. An in nocte Nativitatis Domini immediate post primam Missam cantatam possint alie duæ celebrari? R. neg. Ita quinquies declaravit Sac. Rit. Congr. in Pisaurienti, Lucana, Senensi, Januensi, & Calagurritana, simul prohibens, auditis Procuratoribus generalibus regularium, ministrari in dicta prima Missa com-

mu-

Cap. II. De congruo tempore, loco, & aliis requisitis pro celebratione. 57

munionem fidelibus confluentibus, & eam deponentibus. Neque possunt excipi in Ecclesia tempore nocturno confessiones, maxime mulierum, nec distribui Eucharistia usque ad auroram, ut cavetur in dicta Calagurritana 15. Septemb. 1680.

35. Inq. 3. An omnibus diebus valeat Missa celebrari? R. Quod in die parasceves nulla Missa celebrari potest, sed perficienda sunt officia propria illius diei, prout in Missali sunt præscripta. Diebus autem Cœnæ Domini, & Sabbati Sancti prohibitum est celebrare Missas privatas ex decreto Clem. XI. die 15. Martii 1712. his verbis: *Non possunt in feria V. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Missæ privatae, sed solum conventuales iuxta ritum S. Ecclesiæ, & iterata decreta Sac. Congr. Concina tamen asserit cuilibet Sacerdoti licere celebrare dicta feria v. Cœnæ Domini. Deinde id negat ex consuetudine, tandem dicit Superiores in hoc posse dispensare. Sed stante dicto decreto, nec alicui Sacerdoti illis diebus licet celebrare, nec Superiores ad id valent dispensare. Vid. Conc. lib. 3. de Euchar. dissert. 2. cap. 7. n. 3. Si autem in dicta feria v. incidat dies S. Joseph, aut Annunciationis ad ordinarios attinet providere de Missis sufficientibus, ut populus præcepto eam audiendi satisfaciat. Cæteris anni diebus non ambigitur posse quemlibet Sacerdotem celebrare, Parochi tenentur perse, vel per alios celebrare omni die festo, & quoties oves Missam rationabiliter postulent.*

36. Inq. 4. An Sacerdos ex vi suæ ordinationis teneatur quotidie celebrare? R. neg. Quia ad id nulla lege obligatur. Nihilominus debet sub gravi aliquoties in anno celebrare. Sufficere quater in anno, ut quidam ajunt, nimis benignum, ne dicam laxum, mihi videtur. Quis non putaret parum sollicitum de sua salute Sacerdotem semel saltem in mense non celebrantem? Angelicus docet Sacerdotes, ne in vacuum gratiam Sacerdotii accepisse dicantur debere celebrare in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt. 3. p. q. 82. art. 10.

37. Inq. 5. An Sacerdos possit bis in die celebrare? R. Quod solum potest dum ad id cogitur ratione necessitatis, ut Parochus habens duas Ecclesias in duobus op-

Tom. II.

pidis, & nullus adest Sacerdos, qui supplere valeat. Tunc sumptis speciebus in prima Missa, & calice bene emundato, omisa ablutione, potest, & debet pergere ad secundam celebrandam. Si autem adsit Sacerdos, potens hanc dicere, minime valet Parochus, nec ei juvat paupertas, cui aliter subvenire consilio Episcopi debet, nec prætextus explicandi doctrinam in secunda Ecclesia; potest enim hæc explicari ab alio Sacerdote, vel ab ipso Parocho, quin in ea celebret. Ita decrevit Benedictus XIV. in Constitutione directâ ad Episcopum Hoscensem 16. Mart. 1746. laudans aliam Constitutionem Apostolicam editam de hac re anno 1657, qua fuit denegata facultas duplicis Missæ celebrandæ ab eodem Sacerdote, postulata a quodam Indiarum Episcopo, eo, quod multi nobiles ob inopiam decentis indumenti omitebant audire Missam conventualem; & hac ratione quæ videtur honesta, deposcebatur alia Missa primo mane, quæ nihilominus denegata fuit.

38. Igitur solum in die Nativitatis Domini omnes Sacerdotes, & in die Commemoracionis solemnisi Defunctorum in Regnis Hispaniarum & Lusitanie ex privilegio possunt tres Missas celebrare. Sub conditione ut celebrantes unam, vel duas Missas dicto die Commemoracionis Defunctorum ex privilegio Benedicti XIV. nequeant eleemosynam pro eis recipere, neque cum eis alicui obligationi ex justitia satisfacere, sed omnino gratis pro fidelibus defunctis debeant applicari, ita scite disponente eodem laudato, & nunquam satis laudando summo presule in suo Brevi incipiente: *Quod expensis. Vid. Synod. Diæces. lib. 13. cap. ult. num. 14.*

PUNCTUM II.

De loco decenti ad celebrandum.

39. Inq. Quo loco Missa celebranda sit? R. Quod regulariter debet celebrari in Ecclesia ab Episcopo consecrata, seu benedicta, excepto aliquo casu necessitatis, aut indulto Pontificis; Ita enim postulat tanti Sacramenti reverentia. Potest ratione necessitatis celebrari in littore maris, vel in ipso mari celo sereno, & secluso omni periculo. Episcopi valent aliquando ex

H jus-